


laurea cernitur, quod fortè ob victoriam quandam factum est. Equum certè, qui in averſa habetur, ſeſſore vacuum, & effuſo curſu ſalientem, libertatem denotare, nemini dubium eſſe debet. Feſtivirus STESICHORI Himerenſis Poëtae Apologus id abundè teſtatur. Eum vide ſub numero V. Syracuſanorum.

XXX.

SEGESTANORUM



Ascendimus prærupta. Hanc Urbem ſuprà Criniſi oſtium condidiſſe fertur Ægeſtus. Occaſionis duplex fama eſt: Alii cujuſdam nobilitate Clari, à Laomedonte autem læſe Majeltatis condemnati Filias in Siciliam deportatas memorant, earumque unam ab Adoleſcente Phrygio vitiatam Ægeſtum peperiſſe, qui in avitas quidem ſedes redux fuerit, ſed iis deſtructis Siciliam repetere coactus fit, & Æneâ ſuadente cognominem Urbem condiderit. Ab his diverſus STRABO, inter Trojanos à Philoëtete ad Erycem miſſos & Ægeſtum fuiſſe, & mœnia condidiſſe affirmat. Quicquid ſit, Nomen ab Authore & accepit & retinuit, donec ſub Romanos concederet. His infauſta vocabula averſantibus præpoſitâ literâ S. pro Ægeſtaniſ Segeſtani memorantur appellati. In Numiſmate tres figuræ occurrunt. De omnibus dubitatur. NONNIUS in averſa Herculem agnoſcit. Cl. Patinus in averſa duas foeminas luçantem conjicit. In Palatinis Viros evincit, quod in altero ad oculum patet indubitatum virilitatis ſignum. Inſcriptio adhuc integerrima eſt, ſed ob inſolitos Characteres legi difficilis. Utramque faciem Luçantem referre, certum eſt, ſed Figura in antica non gladium vibrat, ſed aliud quiddam in protenſâ dextrâ retrò caput elevatâ tenet. Certè nec haſtile eſt. Corium crediderim illud bubulum, quod manui circumvolutum ceſtum dixere. Hæc opinio ſi fidem inveniat, ipſam figuram facilè ad Erycem Veneris Filium retuleris, quem in agro Segeſtano jam ante conditam Urbem ceſtibus advenas ſecum contendere coëgiſſe, tandem autem ab Hercule ſuperatum accepimus.